



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Wolfgangvs Episc. 31. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

tibus. Meruere ergo laurum, quã ut coronarentur, capita securi submiserunt. *Ex Metaphrasæ.*

S. WOLFGANGVS EPISC.

31. Octobris.

STellam parturire sibi mater WOLFGANGI videbatur. Non fefellit. WOLFGANGVM peperit, fidus, à quo omnis Bojaria illustrem se faterur. Natalium splendori jam inde à puero majorem lucem à bonis artibus, maximam deinde à virtute accendit. Hæc cum inter Herciniæ silvæ Ascetas aliquandiu latuisset, suis tandem se radiis prodidit, & præluere Bojis Ratisponæ iussa est. Agnovere in Præsule suo vitæ magistrum omnium ordinum homines. Virgines præcipuè Deo dicata, quas ille à vitæ, ad quam nunc etiam pronum est deficere, licentiã, ad sanctiorem disciplinam faciliè omnes revocavit. Postea in desertos montes aufugit, struxitque sacellum miraculis etiamnum inelytum. Sed non potuit oculos effugere stella tam nobilis. Retractus WOLFGANGVS post longam absentiam pulchrius jam Ratisponensibus velut post tenebras luxit. Illud minimè tacendum. Henricum Bavarum postea Augustum educasse, illique Imperium tum in vitã, tum à morte suã prædixisse, nam ferunt Henrico dor-

31. OCT. *Vitæ Sanctorum.* 597

dormiēti WOLFGANGVM adstitisse,
& parieti gemina hæc verba (*Post Sex*)
inſcripſiſſe: experrectum illum mor-
tem primò in ſextum diem, poſt in ſex-
tum menſem, tum in annum ſextum
expectaſſe, ſed tunc pro morte Impe-
rium ſcilicet adiſſe. At WOLFGAN-
GVM, cūm aſſem omnem ſuum in
fratres (ut ipſe vocabat) pauperes par-
titus eſſet, calum ex ipſo templo D.
Othmari, qui & Episcopatus illi &
mortis vates fuit, ad ſe rapuit. Nec
injuriā terræ fecit, ſuum abſtulit,
ſtellam tulit. *Ex Suriō.*

NO